



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 1. An potentia receptiua formarum & vnionum mediâ paßione sit de
essentia Metaphysica materiæ primæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

de facto datur, & ab alia quantumcumque possibili specie distincta qualem esse materiam primam calorum non pauci probabiliter sentiunt, hic autem Author tantum agit de materia, quae de facto datur. Quod si sentiret possibilem non esse materiam aliam specie distinctam ab isto, hoc debuisset probare, vel saltem asserere. Deinde qua ratione probari poterit, possibilem non esse materiam aliam pauciorum formarum receptivam, aliamve, ex qua non possent formae deduci, sed respectu omnium, quibus posset informari, & eodem modo se haberet, quo de facto se habet materia prima, quae de facto datur, à qua materias illas specie distinguendas esse dubitare non licet.

Deinde, ut disputationem perturbet hic Author negat distinctionem inter informationem, & receptionem, & materiam primam vult esse potentiam passivam respectu animae rationalis, quae manifestè sunt falsa, nam receptio est passio identificata cum educatione, quam non exercet materia respectu animae rationalis, quae informatur. Deinde potentia passiva dicitur respectu passionis identificatae cum generatione, seu educatione, quae in materia prima respectu rationalis animae agnosci non potest, nisi illam creati denegetur, quod nefas esset. Vult etiam materiam primam priorem esse forma prioritate naturae in genere subiecti, quia illam materializat. Huc vsque causalitatem in genere subiecti distinctam à causalitate in genere causae materialis cum passione identificata Philosophi non cognoverunt, & cum nec prioritas alia naturae admittenda est, hac autem materiae primae respectu rationalis animae, salua illius creatione, convenire non potest. Dicere autem materiam materializare formam sunt verba ad rem non pertinentia, quia tantum important materiam cum anima rationali componere quoddam totum materiale, & unionem animae ad materiam in causa esse, ut anima non, nisi dependenter à materia dum est unita valeat operari. Recurrit tandem iste ad prioritatem temporis, quam habet materia respectu formae, hac tamen prioritas est omnino accidentalis, & extrinseca respectu materiae, est enim materia prius tempore fuerit producta, nihil prohibebit utramque in eodem instanti temporis creari, sicut materia, & forma coelorum in eodem temporis instanti fuerunt productae.

§. I.

An potentia receptiva formarum, & unionum mediā passione sit de essentia metaphysica materiae primae.

Præ oculis semper habenda est distinctio, quam semel, & iterum explicavi, subiecti inhaesionis, & informationis. Subiectum inhaesionis est quod recipit formam, & illam patitur, & formaliter passivum dicitur. Subiectum informationis est, quod informatur formā, mediā unionem, quae informatio dicitur, siue forma recipiatur in subiecto mediā inhaesionem, siue creetur, hoc enim est per accidens & informationis subiectum.

P. Soar. i. Metaph. disp. 13. sect. 8. passim docere videtur materiam primam recipere formas, ut educibiles ab illa. Sed an de essentia physica, vel Metaphysica loquatur, incertum est. Clarius Hurtad. disp. 2. sect. 2. §. 19. de essentia metaphysica disputans, potentiam hanc formarum receptivam ad essentiam materiae pertinere affirmat. Plerique recentiores tenent essentiam materiae non dicere potentiam receptivam respectu formarum, sed respectu unionum, quas essentialiter respicit, ut ab illa educibiles.

PRIMA CONCLUSIO: Essentia materiae primae abstracta à materia, quae de facto datur, & à reliquis possibilibus, non dicit potentiam receptivam formarum, neque unionem, mediā passione: ita sapientissimi recentiores, quibus auctoritatis multum defero. Probo hanc conclusionem. Primo, de potentia receptiva respectu formarum, potest dari materia, quae non sit receptiva formarum, cum quibus potest diversa tota componere: ergo potentia receptiva respectu formarum non est de essentia materiae primae. Antecedens probo: materia prima, quae de facto datur, non est receptiva animae rationalis, & verè habet rationem partis materialis, & materiae primae respectu hominis, quem simul cum anima rationali componit: ergo si daretur pars quaedam essentialis (non dico quamdam materiam, ne videar supponere existentiam subiecti, quod adversarij repugnare defendunt): quae ita se haberet re-

spectu omnium compositionum, sicuti materia prima se habet respectu hominis, verè esset pars materialis illorum & propriissime materia prima diceretur, non enim magis requiritur, ut pars essentialis constituatur materia prima respectu cuiuscumque alius compositi, quam respectu hominis.

Eandem conclusionem tam respectu formarum, quam unionum sic probo. Tam formae, quam uniones saltem de potentia absoluta possunt creari, & in materia mediā passione non recipi; de formis id nullus negat, de unionibus negandum non esse probabo in Metaphysicis, quod Hurtad. fatetur. Creatā formā, & unionem cuiuscumque compositi, essentialiter, non solum metaphysicè, sed etiam physicè, idem omnino permaneret, quia compositum tantum dicit materiam, formam, & unionem, & hoc numero compositum, hanc numero materiam, hanc formam, & hanc unionem: ergo producta eadem formā, & eadem unionem respiciente eandem materiam, permaneret idem numero compositum, & eandem numero compositionem haberet, quod negabit nullus. Ex hoc principio, sic infero: materia unita formae creatae per unionem creatam, absque vlla receptione actuali, æquè componit compositum, ac si talem receptionem haberet; ergo receptio actualis non pertinet ad compositionem actualem; ergo hoc, quod est actu materiam per modum partis materialis componere totum, non dicit receptionem aliquam formae, aut unionis: est per se nota illatio: ergo posse componere per modum partis materialis non dicit potentiam ad receptionem: Probo consequentiam: posse componere per modum partis materialis tantum dicit id, quod supponitur per modum actus primi formaliter ad compositionem actualem per modum partis materialis: sed compositio actualis per modum partis materialis, non supponit potentiam recipiendi: ergo neque posse componere per modum partis materialis. Compositionem actualem per modum partis materialis non supponere potentiam sic probo. Compositio actualis consistit tantum, ut iam probavi, in terminatione actuali unionis: ergo tantum supponit ex parte principij potentiam terminandi, & non potentiam recipiendi. Probo consequentiam: terminatio actualis unionis, & receptio eiusdem seu formae sunt actus essentialiter distincti, & diverso modo respicientes principia: ergo terminatio actualis unionis, quae est formaliter compositio per modum partis materialis, non supponit potentiam educationem: ergo posse componere per modum partis materialis formaliter non dicit posse recipere: ergo conceptus materiae primae non dicit potentiam receptivam. Probo consequentiam. Totus conceptus materiae primae metaphysicè sumptae consistit in hoc quod est posse componere per modum partis materialis. Sed posse componere per modum partis materialis, non dicit posse recipere formam neque unionem: ergo totus conceptus materiae primae sumptae metaphysicè non dicit posse formam neque unionem recipere. Maiorem nullus potest negare, quia in hoc quod est posse componere per modum partis materialis includitur ratio partis essentialis communis cum forma, & differentialis per quam differt à forma, quae componit per modum partis formalis. Minorem, cui totus hic discursus innititur latè supra probavi: consequentia est legitima.

Rationem totam multis iam explicatam, paucis cinctam accipe. Conceptus adaequatus materiae primae est posse componere per modum partis materialis: sed posse componere per modum partis materialis non dicit potentiam receptivam: ergo conceptus materiae primae non dicit potentiam receptivam. Minorem probo: componere actu per modum partis materialis, non dicit recipere materiam neque formam: ergo posse componere non dicit posse recipere materiam neque formam: Probatur consequentia: actus secundus tantum supponit suam potentiam formalem, & non potentiam aliis actus: ergo componere, seu terminare unionem per modum partis materialis, tantum supponit posse componere, & non posse recipere, quod est potentia seu actus primus receptionis distinctae realiter ab actu terminandi per modum partis materialis, & ad aliam potentiam pertinentis.

SECUNDA CONCLUSIO. Materia prima, quae de facto datur non dicit ex conceptu formali talis materiae in hac specie atoma constituta virtutem receptivam formae neque unionis. Conclusio ex rationibus pro praecedenti adductis facile probatur. Hae materia quae de facto datur eandem

eamdem rationem habet materiae respectu equi, cuius formam recipit, & hominis cuius formam non recipit; & eandem haberet, etiam si non reciperet modum vnionis, eodem enim modo componitur per modum partis materialis vnione creatâ ac componitur modò, vnione eductâ, & eandem compositionem haberet totum: ergo ad hanc speciem atomam compositionis non pertinet eductio formæ, neque modi vnionis: ergo ad hanc pot. entiam componendi speciem infimam à reliquis distinctam non pertinet potentia receptiua formæ, neque modi vnionis. Repe- te discursum propriam conclusionem confectum.

13 TERTIA CONCLUSIO. Ad conceptum metaphysicum materiae primæ vt sic, neque huius materiae, quæ de facto datur, non pertinet potentia recipiendi formas accidentales, neque illas sibi vniendi. Probo: materia prima tam potentia vniuiua quam receptiua primariò refertur ad formas substantiales, & ad tota substantia per illas constituta, & secundariò ad formas accidentales: sed in illo primario conceptu elucet tota ratio adequata constitutiua materiae, per quam differt à forma, quia omni secluso accidenti, materia diuerso modo constituit totum substantiale, quàm forma: ergo respectus ille posterior ad formas accidentales non pertinet ad conceptum metaphysicum materiae primæ vt sic, neque materiae, quæ de facto datur, neque alicuius possibilis, quia quæcumque illa sit, debet primariò respectum dicere ad aliquam formam substantialem, & aliquid totum per illam constituendum, in quo respectu tota ratio metaphysica talis materiae constituitur.

14 Probaui potentiam receptiuam formarum, neque vnionum non esse de essentia materiae, superest tamen grauis explicanda difficultas: quomodo materia à forma differat, & per quæ prædicata formaliter constituitur in ratione materiae, quia conceptus terminandi vnionem communis est materiae, & formæ, & ita videtur non posse materiam per illum constitui: quod aliorum præmissis, & impugna- tis sententiis §. 2. circa materiae essentiam, §. 3. explicabo.

§. II.

Aliorum sententia circa essentiam materiae.

15 Sentiunt multi materiam metaphysicè constitui, & distinguì à forma per virtutem receptiuam formarum, vel modi vnionis, quos satis impugnatos habeo §. præcedenti, vbi probaui virtutem receptiuam formarum, aut vnionum non esse de essentia materiae metaphysicè loquendo. Addo quod etiam si illam pertineret virtus receptiua modi vnionis non posset esse vltima differentia constitutiua materiae, quia potest materiae, & formæ conuenire, multi enim satis probabiliter docent modum vnionis recipi in forma, & posse dari compositum, cuius forma modum vnionis recipiat, certum mihi est.

16 Respondet Hurtadus disp. 2. sect. 2. materiam talem constitui, & dici subiectum, quia forma illi communicat suum effectum formalem, & denominationem dat, sicut Sapientia constituit intellectum sapientem, & albedo parietem album. Non acquiesco, neque aliquid video, quod rem explicet. Hurtadum impugno. Sicut forma communicat suum effectum formalem materiae, & dicitur informatas; sic materia potest dici communicare effectum materiale formæ, & materiata dici. Ergo non est maior communicatio effectuum materiae ad formam, quàm formæ ad materiam: ergo ex hoc capite hæc entitates inter se non differunt. Dices, communicationem esse mutuam, diuersæ tamen rationis, quia forma communicat materiae esse informatam, quem effectum non communicat formæ materia, esto materiata illam constituat. Contrà: formam communicare materiae effectum formalem, & illam constituere informatam supponit iam formam constitutam in esse formæ & ideo materia hunc effectum non communicat, quia non est forma: ergo antequam hunc effectum formalem communicet forma, concipitur iam quasi illum in se habens, & forma constituta: per quid ergo forma talis constituitur, potensque effectum formalem communicare.

17 Vrgeo, ex duobus extremis, quorum vnum voces materiae, alterum formam, vtrumque eodem modo terminat vnionem, vtrumque est compositum essentiale, quare ergo hoc, quod formam vocas, effectum formalem communicat alteri, & non alterum huic? quid est speciale in his ex-

tremis, propter quod vnum effectum formalem communi- cet alteri, quem alterum illi non communicat? Crescit difficultas iuxta doctrinam Hurtadi, quem impugno. Afferit posse dici albedinem parietatam per vnionem ad parietem, sicuti paries dicitur dealbatus per vnionem ad albedinem: Quare ergo parietem esse dealbatum, erit formalis effectus, & albedinem esse parietatam effectus formalis non erit. Neque quod addidit Hurtadus de denominatione quidquid lucis habet, quia denominatio supponit fundamentum, de quo ego inquiri, quid sit? prius enim est albedinem esse formam, quàm subiectum denominare, ideo enim albedo denominat subiectum, quia est forma, & ideo subiectum non denominat albedinem, quia est purum subiectum, & non forma. Addo in sententia Hurtadi, æquè posse formam denominari per subiectum, quàm subiectum per formam, quia vt ex illo referebam, sicut dicitur paries albus per vnionem ad albedinem, potuit albedo parietata per vnionem ad parietem appellari.

Arriaga disp. 2. sect. 3. subf. 2. dicit rem esse difficiliorem quam aliqui excogitantur & vix ipsum videre, quid respondere possit. Deinde asserit, quod quando duo ita inter se vniuntur, vt vnum se habeat quasi antecedenter, & præuise ad aliud, aliud verò illi superueniat; illud, quod antecedit dicitur recipere; illud verò quod superuenit, recipi, & complere dicitur, sicut fundamenta, à quibus domus incipit, adificio subiucant. Addit hinc facile explicari, quomodo materia prima sit subiectum omnium formarum, & non è contrà, quia præsupponitur ipsa materia prius naturâ ad omnes formas, etiam ad rationalem, non verò è contrà. Propriis verbis Arriagæ sententiam retuli, propriis iam refello.

Tota difficultas huius quæstionis orta est propter animam rationalem, quæ à materia prima non dependet tanquam à subiecto inhesionis, si enim dependeret, sicuti dependet forma equi, non distingueremus subiectum inhesionis à subiecto informationis. Inquiri ergo quare materia hominis se habeat antecedenter, & præuideatur ad animam rationalem, & quare rationalis animus materiae superuenire dicatur? sicut enim materia est independents à materia, cum ergo inter se ad inuicem non dependeant, neque vnum supponatur ad aliud, quo fundamento dicit Arriaga materiam præsupponi ad animam rationalem? Deinde illud, quod addit materiam scilicet præsupponi prioritate naturæ ad rationalem animum, falsissimum est, quia prioritas naturæ est prioritas causalitatis, & dependentiæ; sed anima rationalis non dependet à materia: ergo materia non est prior naturâ animæ rationali. Prædicatum maioris continet definitionem subiecti; consequentia est legitima: minor certissima, quia anima rationalis creatur, & non dependet à priori ab aliqua causa creata, neque à posteriori, cum in statu separationis naturaliter conseruatur sine materia. Imò ob hanc rationem forma deberet dici subiectum, quia licet non dependeat à priori à materia, in multorum tamen sententia dependet à posteriori, quia potest naturaliter sine aliqua forma conseruari, ac proinde materia dependet ab anima rationali, saltem sub distinctione, sicut ab aliis, quia sine aliqua illarum naturaliter conseruari non potest.

Respondent alij apud Arriagam suprà subf. 2. n. 20. materiam primâ dici subiectum formarum substantialem, quia per formam determinatur ad componendum potius hominem, quàm leonem, & ad operationes hominis, vel equi ad quas materia ex se est indifferens, & ex se quasi informis; forma verò non determinatur per materiam. Ratio est, quia forma naturalis per suam entitatem est determinata ad constituendum indiuiduum speciei hominis, & non potest per materiam determinari ad constituendum equum; sicuti materia potest determinari per formam, vt hominem, seu equum constituat, quod est esse subiectum informationis.

Hanc opinionem rectè impugnat Arriaga, quia ex eo quod possit esse materia determinata ad hanc speciem formam, sicuti multi de materia cœlesti satis probabiliter censent: ergo ratio materiae non consistit in hac indifferetia ad plura composita constituenda. Dices hanc numero materiam talem non esse, ac proinde posse ex indifferetia, quam habet, distinguì à formis. Contrà: ego inquiri conceptum materiae abstrahentem ab hac materia, & ab omni alia possibili: ergo per hanc inoifferentiam conuenientem materiae: quæ de facto datur, non potest quæstioni fieri

satis